24.
~~185~~

S. D.

Quod tuis toties ad me datis literis, hactenus non respondi, in causa sunt
strenua illa negotia, quibus in literario hoc pistrino anxie distrahor. Solus
enim ipse Castigatoris munere iam fungor, solus item praelorum duorum (quibus Peroti
Commentaria et quae Cornucopiae nominari solent, transscribo) curam habeo: solus
totius familiae onus, omni prorsus adiumento destitutus, ferre cogor. Quo factum
est, ut nihil chartarum in Pomponio nostro adhuc ediderim, quod tibi, ut petis,
mittam: mittetur tamen propediem; quamprimum videlicet aliquot laboribus
levatus, reliquum operae, quicquid id fuerit, in excudendis tuis doctissimis commentariis
studiosissime insumam. Ad haec, quae ad me misisti errata, per te scitius ani
madversa, eo quo voluisti ordine, in archetypo restitui. Vale, et huiusmodi
in excudendo morulam boni consule, quando et tu me nonnihil in lucubrando, edendoque explanationem
moratus sis. De Captivitate Babylonica, item de libertate Christiana
libellos, ex me dono accipe. Quibus addidi facetissimum in Murnarum Luthero
mastigam dialogum. Iterum Vale. XII Calend. Maij An. MDXXI.

Andreas Cratander

Integerrimo atq doctissimo viro
D. Ioachimo Vadiano, suo etc.

Apud Divum Gallum.